

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.
 DISPUTATIO
 EXERCITATIONUM PHILO.
 SOPHICARUM XX.

De
METEORIS IN GE-
 NERE, ET IN SPECIE DE
 IGNITIS.

Quam,
Favente benigne Jehovah,
 SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,
Liberalis exercitij gratiã defendendam suscipiet,
BALTHASARUS SIMON
 Cammino-Pomeran.

In celeberrimã VVittebergensi Academiã,
 ad diem 18. Septemb. horis 8. loco solitis.

Seneca lib 7. Nat. qq. c. 1.

*Ita compositi sumus, ut nos quotidiana, etiam si admiratione
 dignã sunt, transeant: Contra minimarum quoq; rerum,
 si insolita prodierunt, spectaculum dũce fiat, &c.*

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni, Anno 1610.





*AMPLISSIMIS JUXTA AC
prudentissimis, vera pietate, erudita doctri-
na, multarum rerum usu, omniumq; virtu-
tum ornamentis praestantissimis Viris*

& Dominis,

**DOMINIS CONSULIBUS, ET
Senatoribus inclytæ Camminensis**

Reipub. dignissimis,

*Dominis Mæcenatibus, Fautoribus, Pro-
motoribus & amicis multis nominibus
plurimum colendis,*

I N

**Grati animi testimonium,
Debitæq; observantiæ monumen-
tum,**

*Hanc de Meteoris in genere deq; ignitis
in specie dissertationem*

Humilimè

D. C. L.

Balthasarus Simon.

P R Æ L O Q V I U M.

Prinicipem illum Peripateticorum Aristotelem, qui hauri supra meritum fidemq; ingentes præconiorum tituli a nemine non applicantur, scripisse accepimus, ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς ἐστὶ τὸ θαυμαστόν, lib. 1. de partib. anim. c. 5: Et alibi, lib. 2. Eth. Nicom. c. 13, πᾶν τὸ φύσιν ἔχει τὸ θεῖον. Magnifica sanè vox, ac cum summo Philosopho, tum quæ literis planè aureis, et si quid auro etiamnũ reperitur præstantius, nullibi non depingatur notesurq; dignissima. Luculentè enim non tantũ pro testamento dicit, quod etiam homines à verâ averſi religione, vel ex minutissimis naturæ rebus admirandam Dei conditoris sapientiam clarissimè elucere, scitissimè adverterint; Sed et nobis, ut summa quæq; inquisitè perpendamus, quæ in alto locata accuratè consideremus, seu invitamentum seu incitamentum præbet inobscurum. Nam si divinum quid in rebus etiam abjectissimis est inventum, quid censendum putandumq; de ijs, quæ omnem humani ingenij excedunt aciem? Annon illas ipsas cognoscere summa erit felicitas studiũ jucundissimum, ineffabilis voluptas? Ceterũ, etsi hæc omnia liquide sint omnia veritatis, interim tamen reſtissimè quoq; majorum gentium Philosophos de infirmitate scientiæ nostræ conque-ri, constans est opinio: Verè enim est verum diderium cùm Aquila Philosophorum Aristotelis, animos nostros per eundem hebescere περὶ τὰ τῆ φύσιν φανερώτατα πᾶντων, ut caligant τὰ ὀμμάτα τῶν νοητικῶν περὶ τὸ μέγιστον φέρον, lib. 2. Metaph. 1. 1; Tum subtilitatem Professoris Scaligeri hoc. Nos in luce rerum igni caligamus, in mediocri cæcutimus, in majore cæci sumus, in maxima insanimus. Exero. 131, Sect. 1, imò non aliter quam ut vulpes elusa à ciconia, lambimus vas vitæ eum, pulsemus hauri attingimus, Idem Exero. 307, Sect. 21. Manifestarium vel est hoc in doctrinâ Imperfectæ Mixtorum seu Meteororum, ad quam meliusculi ordinis indicis animi nostri commendatio jam est traducenda, quæq; magnitudine quidem clara, naturâ admirabilis, utilitate necessaria; In eâ tamen perplurima sunt, quæ humani captus et ambitus et basin et fastigium excedunt, quæq; exactè ne minimâ quidem sua parte subjugum cognitionis nostræ mitti possunt. At enim nos quali illa quali cognitione contentos esse addecer, quippe cum humanæ sapientiæ pars magna sit quædam equo animo ignorare velle, Scalig. Exero. 307, Sect. 29; Ut licet, quod ajunt, cytharædi esse non possimus, aule di saltem fiamus: Præinde hæc vice insequentia de Meteoris in genere, deq; ignis in specie, aliis paulum sunt perpendenda.

T H E S I S I.

Meteora, sic vocitata, vel quod pleraq; subsistant ἐν αἰθέρα, in sublimi quasi suspensa atq; exaltata, vel quia admiratione sui animos hominum μελέωσθε suspensos dubiosq; reddunt; sunt corpora imperfectè mixta in sublimi aut in terrâ ex vaporibus seu exhalationibus, vi stellarum, Solis maximè radiorum, generata.

II. Corpora dicuntur, tum quia ex corporibus constant ratione materia, tum quia eorum quædam, quæ per se ἐμφάσθε tantũ sunt, et species in sublimi apparentes, in corpore quodam et ipsa inhaerent, quod vel nubes vel vapor est.

V 2

III Im-

AC
doctri-
virtu-
is
ET
S
Pro-
ms
nen-
tis
on.



III. Imperfectè mixta autem vocantur, non ac si essent simpliciter imperfecta, sic enim in nullâ Entium specie reponerentur, verum quia ex Elementis leviter inter se transmutatis, inq³ nondum unam communem naturam exquisitè satis compactis, constant, unde & illa unio seu mixtio minime est durans, sed ex facili solvitur tolliturq³.

IV. Interim ex Elementis oriri, non uno vel aliquot, at enim ex omnium commistione, adfirmamus: Convincunt namq³ hoc inprimis Elementares qualitates, ex quibus de ipsis non inrectè fit Elementis iudicium; Haec quocunq³ in mixto sunt, nunquã in gradu excellenti existunt (hac enim ratione ne in simplicibus esse possunt omnibus) sed remissos semper obtinent gradus, id quod sine alterius commistione qualitatis fieri quit nullo modo, lib. 5. Phys. t. 19.

V. Ideò Imperfectè mixta non dicuntur vel summè calida, vel frigida summè, vel sicca humidavè summè, sed ab indole prævalentis qualitatis denominationem indispiscuntur, quod de halitibus conceptis adserit verbis Philosophus lib. 1. Meteor. c. 5. & lib. 2. c. 4.

VI. Adde quod omne compositum, ut res habet cum meteoris se, duas exigat partes, alteram ut consistat, alteram ut cohereat: Ad consistendum siccitas data est, ad cohesionem humidum est interpositum, Scalig. Exercit. 10. Siccitas verò ea est terrea, quæ ratione frigoris nativi magis consistit: Humidum verò est aqueum, quod densitatis suæ ratione magis terminari potest.

VII. Cum igitur omnis mixtio, ut & generatio, sit ex contrarijs, est utiq³ de necessitate omni, ut & reliqua Elementa duo concurrant, quorum Ignis Aqua, Aër Terra est contrarius. Ex quo fundamento ipso insert solidè Philosophus, lib. 2. de gener. & corr. t. 49. omnia mista corpora, quæcunq³ circa medi locum sunt, ex omnibus composita esse simplicibus.

VIII. Solertiùs autem advertendum, quod dupliciter Elementa in Imperfectè mixtis agnosci possint: Aut enim in resolutione horum actu ab invicem secreta cernuntur, ut contingit in plerisq³ meteoris; Aut ex conditionibus suis, de quibus participant mixta, in mixtis deprehenduntur esse, id quod in halitibus fit, qui meteororum materia sunt, inq³ quorum resolutione etsi non tam accuratè Elementa oculis subjiciantur, nihilo tamen minus illos ipsos & motu & viribus & alijs simplicium conditionibus & accidentibus secundum magis & minus participare certum est.

IX. In-

IX. Invidè igitur concludimus materiam Meteororum esse quatuor Elementa, sed remotam, propinquam enim constituit ἀναθυμίασις, halitus, exhalatio seu exspiratio, quæ corpus est subtilius paulò aquâ, aère verò crassius, unde & concitò in Elementum aeris degenerat, à quo nonnunquam vix differt sensibiliter, lib. 1. Meteor. c. 4.

X. Gigniturq; ex partibus terræ & aquæ extenuatis ac resolutis, unde duorum potissimum est generum, aut fumus seu speciatim sic dicta ἀναθυμίασις, quæ halitus est tenuior, calidus & siccus, è terreis locis & arenibus educus; Aut vapor, ἀτμίς vel ὑγρὰ ἀναθυμίασις, qui exhalatio est crassior, calida & humida, ex aqueis maximâ suâ parte excitata locis, Ibid. cap. 4.

XI. Rarò autem soli, plerunq; simul hi halitus extrahuntur, ut semper alter de altero admixtum quid habeat, & σύγκρισιν quandam mediam constituent, quæ utrumq; habitum δυνάμει in se comprehendat: Appellatio tamen κατὰ τὴν ἑτερογενήν ab eo sumitur, qui alterum in mixtione illâ superat.

XII. Porro ad causas quod meteororum attinet efficientes, præsuppositis hyperphysicis, qualis immediatè & effectivè omnium in rerum natura primus motor DEVS est, qualesq; mediatè & permissivè Genij sunt, tam boni quàm mali; Physicam recensemus duplicem, & remotam & propinquam.

XIII. Illam constituit remotè quidem, ipsum cælum, quod in inferiora hac nimis manifestò & motu, & lumine, & influentiâ suâ agit; Propinquè verò Sol potiss: concurrentibus simul Lunæ ac reliquorum Planetarum fixorumq; siderum viribus, quicq; radiorum virtute resolvit atq; educit è terreno globo halitus sive fumos, copiâ vel majore vel minore, pro accessu & suo in obliquo circulo recessu, diversis anni temporibus, præsertim autumnis, & (rarioribus tamen) veris.

XIV. Hanc exhibet Elementaris regio, causâ tum principali, calore scilicet & frigore tum regionum aeris, locorumq; subterraneorum, quorum ille attenuando ac rarefaciendo, hoc densando constringendoq; varia meteorum efformat genera: Tum adjuvante, quæ halituum alia est atq; alia constitutio, temperamentum ac figura.

XV. Forma Meteororum varia illorum est constitutio, quam ob causam alijs alijsq; apparent speciebus, accidentibus non essentijs discrepantibus, pro ratione nimirum materiae, ejusq; copiâ, situ, vel figurâ, & causæ efficientis, fortius imbecilliusvè agentis.

XVI. Finis communis omnium Imperfectè-mixtorum est totius Univerſi perfectio, quam in ſua imperfectione mirum etiam in modum adjuvant: Ut enim carmen non ſemper conſtat longis ſyllabis, ſed longis atq; brevibus concinnè inter ſe coaptatis; Ita mundus etiam non ſimplicibus tantum, & ex ſimplicibus perfectè mixtis conſtituitur, ſed & Imperfectè mixtorum cum reliquis coordinatione perſicitur, Auguſtin. Epist. 5. & 28.

XVII. Tandem locus ſeu ſubjectum $\mu\epsilon\tau\epsilon\omega\rho\omega\nu$ eſt globus Elementaris, præcipuè verò aër, qui ob varia, quibus circumfluit, accidentia in tres dividitur regiones, ſupremam, quæ à concavitate orbis Lunæ uſq; ad ſummos ferè montes, vel infra eorum juga extenditur, & calida eſt ſiccaq; tum ob vicinitatem ignis, tum propter rapidiſſimum primi mobilis motum, tum deniq; propter calidas exhalationes eo ſubeuntes, quibus conſpergitur.

XVIII. Mediam, quæ à termino reflexionis radiorum Solis incipit, & ultra ſummorum montium juga nonnihil aſurgit, aut etiam infra eadem nonnihil deprimitur, dum eandem magnitudinem minimè retineat, ſed eam mutet alijs atq; alijs anni temporibus: Frigida eſt (reſpectu nimirum duarum reliquarum) & humida, quia & longius à cælo diſtat, & reflexi à terrâ radij eo uſq; non perſeunt, & vaporibus frigidis nullo non eſt tempore reſerta, & maximè ob $\alpha\upsilon\lambda\iota\omega\epsilon\iota\sigma\tau\omega\nu$ extremarum.

XIX. Et in Imam, quæ extenditur à ſuperficie terræ uſq; ad terminum reflexionis radiorum Solis: Varia eſt & inſtans quo ad calorem & frigus, uti & quo ad quantitatem, non ſolum in diverſis terræ plagis, ſed quoq; in unâ eademq; ob motum imprimis Solis obliquum in Zodiaco. Hæc de generâ Meteororum conſideratione.

XXI. Cæterum Meteororum alia ſunt Hypoſtatica, alia Emphatica: Illa iterum exiſtunt vel Ignea, vel Aërea, vel Aquea. Ignea, quæ ex ſumis accenſis & ardentibus gignuntur, ſunt vel Pura, vel Mixta: Prioris generis quædam ſunt vel Ascendentia, quæ ex ſumis calidiſſimis conſtant, in ſupremum aërem evehitis accenſisq; aut per $\epsilon\kappa\kappa\alpha\upsilon\sigma\tau\omega\nu$, aut per $\epsilon\kappa\theta\lambda\iota\psi\omega\nu$, lib. 1. Mete. c. 5. inter quæ notabilia hæc ſunt.

XX. 1. Candela accenſa, quæ ſumus eſt continuus, tenuis, æqualiter longus & latus, qui ſuperiore parte inflammatus, accenſæ ſpeciem repræſentat facule. 2. Bolis ſeu Laculum, quod eſt ſumus mediocriter longus, totuſq; ardens. 3. Trabs, compactior & longior ſumus, undiquaq; accenſus, inq; porrectus latus, lib. 1. Meteor. c. 4.

XXII. 4. Capræ ſaltantes, ſuntq; ſumorum craſtiores mæſſæ inter ſe diſiunctæ,

dijuncta, & tenui exhalatione conjuncta, per quam unâ massâ deflagante, flamma citatim in aliam transilit. 5. Scintilla volantes sunt fumi in minutissimas particulas dispersi, quarum singula ad instar stipularum ardent.

XXIII. Vel sunt Descendentia, ex fumis scilicet nata minus calidis, ut sunt. 1. Stella cadentes, quæ fiunt ex fumis tenuioribus in medio aëre accensis, & per antiperistasis ad modum stella è cælo labentis, detrusis. 2. Draco volans, qui fumus est crassior, propter inaequalem materia dispositionem Draconis aliquomodo speciem referens.

XXIV. 3. Ignis erraticus, qui fumus tenacior est in imo aëre nocturno frigore accensus, & ad motum aëris agitur: In mari si geminus cernitur, Castor & Pollux, si unicus Helena dicitur. Horum meteororum omnium finis est quod in signes siccitates, turbulentos ventos, &c. cieant.

XXV. Generis Meteora posterioris aut durantia sunt, ut Cometa & Galaxia, aut evanescentia, ut fulmen. Cometa halitus est pinguis & viscosus in supremâ aëris regione accensus, stellas motu imitans & fulgore, varias radiorum flammæ evomens, lib. 1. Meteor. c. 6. & 7.

XXVI. Hinc aut est comatus, cum halitus viscosus ardens circumquaque equaliter flammam spargit, sicuti capilli ambiunt caput: Aut barbatus, cum flammæ radij in longum porriguntur, & prolixiores unam in partem, quamcumque sunt illam, extenduntur. Duabus hiscè speciebus etsi Plinius adhuc alias addat, lib. 2. N. H. c. 25. tamen vel ad illas dictas commodum referri possunt, vel verius alia ignita sunt meteora, minimè Cometa.

XXVII. Apparent autem Cometa plerumque extra Zodiacum & Tropicos, extra quos Sol non ita facile halitus dissipare potest: Frequentiusque versus Septentrionem conspiciuntur, quod ea pars Mundi nobis videatur excelsior. Quo ad eorundem durationem, pro ut materia ab initio collecta copia major vel minor fuit, & novæ exhalationes magis accedunt copiosæ minusque, sic & illa quoque diuturnior aut brevior est: Ad minimum verò septimanam, ad summum semestre perdurant. Procreant siccitates, sterilitatem, annonæ caritatem, &c.

XXVIII. Galaxia latè est diffusa & exuberans exhalationum concretio, quæ provenit à stellis eo in loco constitutis, materiamque illam partim accendentibus, partim illustrantibus: Hujusque defludio, Plinij verbo lib. 18. N. H. cap. 19, velut ex ubere aliquo sata cuncta lactescunt, lib. 1. Meteor. c. 8.

XXIX. Tandem fulmen exhalatio est calida & sicca, crassior magisque viscosa.

viscosa, in nube densâ conclusa, & per antiperistasin inflammata, ac magno impetu excussa deorsum cadens: Estq; potiss: triplex, aliud Vrens, tenue nimirum indeq; non penetrans, sed saltem infuscans, leviterq; amburens; Aliud discutiens, crassum omninò, quod dissipat ictuq; omnia rumpit, Aliud terebrans, subtile maximè, unde angustiss: quæq; penetrat, lib. 3. Meteor. c. 1.

XXX. Cum fulmine verò unâ fiunt tum Tonitru, quod sonus est, quem exhalatio nubem densam rumpens vi efficit, cujus diversitas existit & ab ipsarum ουσίασq; nubium inæquali, qua vel rarior est vel densior, & à loco terra tonitrua excipiente, qui vel planus, vel montibus convallibusq; est discretus; Et demum à vehementiâ elisionis materia majore vel minore.

XXXI. Tum coruscatio, que flamma est micatio & vibratio ob accensas exhalationes, èq; nube erumpentes, lib. 2. Meteor. c. 9. Ad extremum effectus fulminis proprius est, ut depurget aërem: Quamvis alia miranda insimul efficiat, sed naturaliter, ut quod stare faciat vase fracto vinum, vaginâ salvâ liquecat gladium, &c. Sed satis hæc pro primâ Meteororum exercitatione est opera.

A D J E C T A N E A.

1. Meteorologia omninò veris ac germanis scientijs est accensenda.
2. Cometæ in regione æthereâ divinitus quandoq; excitari, non negandum.
3. Idem & signa & cause sunt futurorum effectuum.
4. Ignis fatuus naturaliter etiam presentissimum in periculum incautos viâ ores deducere potest.
5. Ignem, sic dictum, capit alambentem planè miraculosum esse putamus.
6. Fulmen quandoq; solo spiritu quandoq; sed rarissimè, & lap. de constat.
7. Cæli fulmina vir fortissimus timere potest debetq;.
8. Eadem naturaliter hyemali provenire possunt tempore.
9. Campanarum sonitu tempestates nec imminuuntur, nec abiguntur.
10. Res que à Magis ad proventum Meteororum adornantur, adumbrant falsâ imagine quod factum futurumq; est.

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. C. C.
S P M T A T I O
TIONUM PHILO.
ICARUM XX.

De
ORIS IN GE-
T IN SPECIE DE
IGNITIS.

Quam,
te benigne Jehovah,
IB PRÆSIDIO

IÆ T I L E M A N I


Colleg. Philos. Adjuncti,
itij gratiã defendendam suscipiet,

A S A R U S S I M O N
nmino-Pomeran.

V Vittebergensi Academiã,
s. Septemb. huius & loco solitis.

a lib 7. Nat. qq. c. i.
ut nos quotidiana, etiam si admiratione
ant: Contra minimarum quoq; rerum,
ent, spectaculum dulce fiat, &c.

VITTEBERGÆ
hica Iohannis Gormanni, Anno 1610.



Farbkarte #13

B.I.G.

